<sup>1</sup> Notum sit cunctis quod ego, Berengarius Cassardi, procurator constitutus ab Arsende Guadamira, sorore mea, in v[.....ndis .....sis] omnibus suis honoribus, [quos] <sup>2</sup> ipsa habet, racione empconis sue uel sponsalicii aut quolibet alio modo, in manso Guadamir uel in certis aliis locis, prout in carta uel publico instrumento, confecto per manum <sup>3</sup> Bernardi de Artars, publici notarii Maioricarum, in anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XL<sup>o</sup>, uidelicet nonas marcii, [prout in eo] continetur, bona et libera uoluntate, per me et per ipsam <sup>4</sup> ac suos, in presenti, cum hoc publico instrumento, vendo uobis, Abacco de Benagiis et Petrus de Cirerio et cui uelitis, in perpetuum, medium per medium, quandam pecio- <sup>5</sup> lam terre plantatam ipsius Arsendis, que est in parrochia sancte Eugenie de Berga, in senioratu Raimundi de Benagiis, in loco nominato {Cumba}. Et affrontat: <sup>6</sup> ab oriente, in honore Iohannis de Solerio; a meridie, in honore Guilelmi de Podiolo; ab occidente, in torrente qui est prope aream mansi Guadamir; <sup>7</sup> a circio, in honore dictorum Iohannis de Solerio et Guilelmi de Podiolo. Predictam namque peciolam terre, integre cum omnibus suis pertinenciis, [terminis], ingressibus, <sup>8</sup> egressibus et affrontacionibus et arboribus omnibus, que ibi sunt uel erunt, cuiuscumque generis sint, ac cum uniuersis aliis, ibi uel inde ad me uel ad dictam sororem <sup>9</sup> meam quoquomodo spectantibus vel spectare debentibus, uobis et cui uelitis, omni tempore, [sine] aliquo retentu et impedimento, ad omnes uestras uoluntates ibi uel inde perpetuo <sup>10</sup> faciendas, salvo iure senioris, vendo, pro triginta et quinque solidis monete curribilis Barchinonensis de duplo, valente marcha argenti LXXXVIII solidis, ex quibus omnibus sum <sup>11</sup> bene uestri paccatus; renunciando excepcioni peccunie non numerate. Et sic, de omni iure, posse et dominio meo et dicte sororis mee, in uestrum et quorum uelitis ius, posse <sup>12</sup> et dominium mito, trado ac transero irreuocabiliter, cum omnibus locis, uocibus, iuribus, hereditatibus, cessionibus et accionibus meis et dicte sororis mee, realibus et <sup>13</sup> personalibus, ac cum uniuersis aliis, ibi uel inde ad me uel ad dictam sororem meam quoquo modo competentibus uel competituris. Si quid autem de iusto precio huius <sup>14</sup> uendicionis deest, totum quicquid aut quantum sit uel fuerit, gratis, consulte et ex certa sciencia, uobis et cui uelitis, dono, remito, trado ac perpetuo relaxo; <sup>15</sup> renuncians omni beneficio minoris precii et expresse beneficio illius legis, qua deceptis ultra dimidiam iusti precii succurritur, et omni alii iuri, scripto et non <sup>16</sup> scripto, tam canonico quam ciuili. Ego uero uel mei nunquam uobis uel uestris teneamur in aliquo de euiccionne predictae peciole terre aliqua racione.

Quod est factum X<sup>o</sup> kalendas aprilis, <sup>17</sup> anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> tercio.

Sig+num Berengarii Cassardi predicti, qui hec facio, laudo firmoque concedo.

Sig+num Arnaldi Myero, sig+num <sup>18</sup> Bernardi de Plano, sig+num Guilelmi Orioli, testium rei huius.

Sig+num Raimundi de Benagiis, domini, qui hoc firmo, salvo iure meo.

<sup>19</sup> Sig(signum)num Petri de Ayreis, Vicensis canonici et publici uille Vici notarii.

<sup>20</sup> Sig(signum)num Poncii de Argilagosa, scriptoris iurati, qui hec scribi fecit et clausit, mandato Petri de Ayreis, publici Vicensis notarii, die et anno quo <sup>21</sup> supra.

### 10

1248, juliol, 28

*Pere Clavell, la seva muller, Maria, i llurs filles, Maria, Guilleuma i Elisenda, reconeixen el pagament de Joan de Bellpuig i la seva muller, Ferrera, de la parròquia de santa Eugènia de Berga (Osona), de tot el terç de la venda, que els havia fet Guillem de Pujol, de l'honor, que tenen en alou d'aquells, a l'esmentada parròquia, en els llocs anomenats "a les Comes" i "als Pradells".*

A Original : APMB, doc. 10 = R28. Pergamí, 142 x 248 mm.  
a 1766, abril, 18 : APMB, Rúbrica dels actes en pergamí, fol. 13v.

<sup>1</sup> Notum sit cunctis quod ego, Petrus Clauelli, et uxor mea, Maria, et filie nostre, Maria, Guilelma et Eligsendis, omnes nos insimul, bona et <sup>2</sup> libera uoluntate, in presenti, cum hoc publico instrumento, recognoscimus et fatemur tibi, lohanni de Bello Podio, de parrochia Sancte Eugenie de Berga, et uxori <sup>3</sup>

## Diplomatari del Mas Bulló de Santa Eugènia de Berga (1154-1250)

tue, Ferrarie, et uestris et cui uelitis, quod fauistis nobis totum terciū illius uenditionis, quam uobis fecit Guillelmus de Podiolo, de ipso honore, quem per /<sup>4</sup> nos tenetis, in parrochia Sancte Eugenie de Berga, in locis nominatis {apud Cumbas} et {apud Pradels}; super quo tercio renunciamus omni exceptioni /<sup>5</sup> peccunie non numerate. [Quod autem], per nos et nostros, laudamus et concedimus uobis et uestris et cui uelitis totum dictum honorem integre, saluo iure nostro in omnibus. Et, /<sup>6</sup> si aliqua persona priuata uel extranea aliquid, in dicto honore, ratione dominiū \uel terciū/, demandauerit uel tetigerit, siue uos /<sup>7</sup> uel uestros inde in causam traxerit, promittimus seruare uos et uestros et omnia bona uestra semper indempnes, obligando inde nos omniaque bona nostra, mobilia et immobilia, habita et habenda, /<sup>8</sup> uobis et uestris et cui uelitis in perpetuum.

Quod est factum V kalendas augusti, anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> octa- /<sup>9</sup> uo.

Sig+num Petri Clauelli; sig+num Marie, uxoris eius; sig+num Marie, sig+num Guilelme, sig+num Eligsen- /<sup>10</sup> dis, filiarum eorum, qui hoc facimus et firmamus.

Testes rei huius sunt: Petrus de Mercharali, Petrus de Guaille, Ferrarius de Brugera, /<sup>11</sup> et Ferrarius de Cuspina, sacerdos.


<sup>12</sup> Sig(signe)num Petri de Ayreis, Vicensis canonici et publici ville Vici notarii.

<sup>13</sup> Sig(signe)num Petri de Podio Securo, scriptoris iurati, qui hoc scripsit et clausit, mandato Petri de Ayreis, publici Vicensis notarii, /<sup>14</sup> cum dictionibus suprapositis in VI<sup>a</sup> linea, ubi dicitur {uel terciū}, die et anno quo supra.

### 11

1250, maig, 5

*Document de lloació, que atorguen Arnau de Montealegre i la seva muller, Guilleuma, a Berenguer Provincial i al seu germà, Alexandre, sobre l'honor situat a la parroquia de santa Eugènia i que s'anomena Clotells, Reguer i Costa.*



Doc. 11, 1250, maig, 5

## Seminari de Paleografia de la SCGHSVN

A Original: APMB, doc. 11 - R 56. Pergamí, 127 x 187 mm.

a 1766, abril, 18 : APMB, Rúbrica dels actes en pergamí, fol. 31r.

<sup>1</sup> Notum sit cunctis quod ego, Arnaldus de Monte Alacri, et domina Guilelma, uxor mea, per nos et nostros, bona et libera <sup>2</sup> uoluntate, in presenti, cum hoc publico instrumento, laudamus, concedimus et perpetuo confirmamus tibi, Berengario Prouin- <sup>3</sup> ciali et Alexandri, fratri tuo, et cui uelitis, ad omnes uestras uoluntates faciendas, totum integre illum honorem, <sup>4</sup> quem pater uester quondam, Prouincialis de sancta Eugenia, emit a Berengario Bouerio quondam et suis, in dicta parrochia, <sup>5</sup> qui est de dominio nostro, et uos modo per nos tenetis, qui honor uocatur apud Clotels et apud Regerium et apud <sup>6</sup> Costam, ad habendum, tenendum et possidendurn semper in pace, cum omnibus suis pertinenciis, tenedonibus, ingressibus, <sup>7</sup> egressibus et affrontationibus suis ac cum uniuersis aliis ibi uel inde ad dictum honorem pertinentibus et debentibus <sup>8</sup> pertinere, saluo iure nostro. Et, propter hoc, recipimus a uobis sexaginta solidos de duplo, ex quibus bene sumus paccati. <sup>9</sup> Renunciando omni excepcioni peccunie non numerate.

Quod est factum III<sup>o</sup> nonas may, anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> L<sup>o</sup>.

Sig+num <sup>10</sup> Arnaldi de Monte Alacri; sig+num Guilelme, uxoris eius; qui hec facimus et firmamus.

Testes rei huius s[unt] <sup>11</sup> Galzerandus de Sauassona, Guilelmus Curut et Ferrarius Niger.

<sup>12</sup> Sig(signe)num ARNALDI PVLCRII, in cuius manu et posse Guilelma, uxori A. de Monte Alegre, in presencia P. de Palatiolo <sup>13</sup> et Bernardi de Monte Alegre, hanc cartam firmauit.

<sup>14</sup> Sig(signe)num Petri de Ayreis, Vicensis canonici et publici uille Vici notarii.

<sup>15</sup> Sig(signe)num Petri de Podio Securo, scriptoris iurati, qui hoc scripsit et clausit, mandato Petri de Ayreis, pu- <sup>16</sup> blici Vicensis notarii, die et anno quo supra.

## 12

1250, maig, 9.

*Berenguer Provincial i el seu germà, Alexandre, venen a Ramon de Pruners una peça de terra plantada, anomenada Cisa, que tenen a la parroquia de santa Eugènia de Berga, sota el senyoratge d'Agnès de santa Eugènia i del seu fill, Marc, i de Ramon de Benages i de la seva muller, Elisenda.*

A Original: APMB, doc. 12 = R9. Pergamí, 185 x 360 mm.

a 1766, abril, 18: APMB, Rúbrica dels actes en pergamí, fol. 6r-6v.

Not. dors.: N<sup>o</sup> 9 i any 1250.

<sup>1</sup> Notum sic cunctis quod ego, Berengarius Prouincialis, et Alexander, frater meus, de parrochia sancte Eugenie de Berga, per nos et nostros, presentes et futuros, bona et libera uoluntate, non coacti neque circumuenti, in presenti, <sup>2</sup> cum hoc publico instrumento, uendimus, sine aliquo nostro nostrorumque retentu, tibi, Raimundo de Pruneriis, iuueni, et cui uelis, imperpetuum, quandam peciam terre plantatam, quam in dicta parrochia habemus, in dominio <sup>3</sup> domine Agnetis de sancta Eugenia et Petri Marchi, eius fillii, et Raimundi de Benagis et domine Eligsendis, uxoris eius; que pecia terre uocatur {Cisa}. Et affrontat: ab oriente, in trilea Bernardi Pilosi; a meridie, in <sup>4</sup> honore Viueti de Palaciolo; ab occidente, in honore Guilelmi Erumir; a circio, in honore Ferrarii Iubani et dictorum Guilelmi Erumir et Viueti de Palaciolo. Dictam namque peciam terre, cum arbo- <sup>5</sup> ribus, que ibi sunt et erunt, et cum omnibus suis pertinenciis, tenedonibus, ingressibus, egressibus et affrontationibus suis, ac cum uniuersis aliis, ibi uel inde ad nos et nostros quoquo modo spectantibus et specta- <sup>6</sup> re debentibus, tibi et cui uelis, saluo iure dictorum dominorum, uendimus in perpetuum pro centum quinque solidis denariorum Malguriensium, ex quibus bene sumus paccati; renunciando omni excepcioni peccunie non <sup>7</sup> numerate. Extrahentes predicta hec omnia de omni nostro nostrorumque posse, jure et dominio, eadem omnia in tuum et quorum uelis posse, ius et dominium mittimus, tradimus ac transferimus irreuocabiliter, cum omnibus locis, uo- <sup>8</sup> cibis, cessionibus et accionibus nostris, ac cum uniuersis aliis, ibi uel inde ad nos et nostros quoquo modo competentibus uel competituris. Si quid autem de iusto precio huius uenditionis deest aut in antea amplius minorato precio ualuerit, <sup>9</sup> totum quicquid aut quantum sit uel fuerit, gratis, scienter, consulte et ex certa scientia, uobis et cui uelis damus, remittimus et perpetuo relaxamus; renunciantes beneficio minoris precii

## Diplomatari del Mas Bulló de Santa Eugènia de Berga (1154-1250)

et expresse beneficio illius le- /<sup>10</sup> gis, qua deceptis ultra dimidiam iusti precii succuritur, et omni alii iuri, scripto et non scripto, tam canonico quam ciuili. Et si forte aliqua persona priuata uel extranea, in dicta uenditione, in tota uel parte, /<sup>11</sup> aliquid tibi uel tuis abstulerit uel emparauerit, siue te uel tuos in causam inde traxerit, ponamus nos et nostros semper inde statim ante te et tuos, a principio cause uel litis usque in finem, propriis /<sup>12</sup> expensis nostris. Et teneamur quisquis nostrum, uidelicet in solidum, tibi et cui uelis de omni euiccionem et expensis, circa euiccionem factis, nos omniaque bona nostra, mobilia et immobilia, habita et habenda /<sup>13</sup> tibi et cui uelis perpetuo obligantes.

Quod est factum VII<sup>o</sup> idus may, anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>L<sup>o</sup>.

Sig+num Berengarii Prouincialis; sig+num Alexandri, fratris eius; qui hec facimus et firmamus.

/<sup>14</sup> Testes rei huius sunt: Guilelmus de Podio Securo, Guilelmus de Pontarone et Iacobus de Quadris.

Sig+num domine Agnetis de sancta Eugenia; sig+num Petri Marchi, eius filii; sig+num Rai- /<sup>15</sup> mundi de Benagis; sig+num domine Eligsendis, uxoris eius; dominorum, qui hec laudamus et firmamus.

Sig(signe)num Guilelmi Cassardi, scriptoris iurati, sub Petro de Ayreis, publico Vicensi notario, in cuius posse fir- /<sup>16</sup> mauit hanc cartam Petrus Reg, baiulus Petri Marchi de sancta Eugenia, XVI<sup>o</sup> kalendas aprilis, anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LXX<sup>o</sup> quarto, presentibus testibus G<sup>o</sup>. de Podio, F<sup>o</sup>. de Cumba, et Iacobo Michele. Item, in posse ipsius Guillelmi Cassardi, firmauit /<sup>17</sup> hanc cartam dicta domina Eligsendis XVIII<sup>o</sup> kalendas iulii, anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LXX<sup>o</sup> quinto, presentibus testibus, Berengario et Bernardo Ispanioli, fratribus.

/<sup>18</sup> Sig(signe)num Petri [de A]yreis, Vicensis canonici et publici ville Vici notarii.

/<sup>19</sup> Sig(signe)num Guilelmi Cassardi, scriptoris iurati, qui hoc instrumentum, quod Petrus de Ferigola, scriptor iuratus Vicensis scribanie, scribi fecerat, ipsoque cum notula ipsius fideliter comprobato, clausit et corroborauit, mandato Petri de Ayreis, /<sup>20</sup> publici Vicensis notarii, set non firmauit dicta domina Agnes. Quinto kalendas iulii, anno Domini millesimo CC<sup>o</sup> LXX<sup>o</sup> quinto.

### 13

1251, desembre, 9

*Establiment per part del cavaller, Bernat de santa Eugènia, i la seva muller, Beatriu, a favor de Bernat de Costa i la seva muller, Maria, relatiu a una petita feixa de terra, situada al comtat d'Osona, a la paròquia de santa Eugènia de Berga, en el lloc anomenat "als Clotells"*

A Original: APMB, doc. 13 = R50. Pergamí, 130 x 186 mm.

a 1766, abril, 18 : APMB, Rúbrica dels actes en pergamí, fol. 27r.

<sup>1</sup> Notum sit cunctis quod ego, Bernardus de sancta Eugenia, miles, et uxor mea, domina Beatrix, per nos et per omnes nostros successores presen- /<sup>2</sup> tes et futuros, bona et libera uoluntate, cum hoc publico instrumento perpetuum ualituro, donamus, laudamus, concedimus et in perpetuum /<sup>3</sup> stabilimus uobis, Bernardo de Costa et uxori tue, Marie, et uestris et cui uelitis, totam ipsam nostram fexiolam terre, quem nos tenemus /<sup>4</sup> et habemus, nostro nomen, in comitatu Ausone, in parrochia sancte Eugenie de Bergia, in loco nominato {apud Clotels}. Quem fexiolam /<sup>5</sup> affrontat:: ab oriente, in ipsa rasa pluuiali, quem inde transiit; de meridie, in uia publica; ab occidente et circio, in uestro honore. Quem /<sup>6</sup> fexiolam uos et uestri teneatis, possideatis, conrozetis et melioretis et expletetis semper in pace, ad fidelitatem nostram et nostrorum succe- /<sup>7</sup> ssum. Tali pacto quod uos et uestri, tenentes predictam fexiolam, reddatis nobis et nostris successoribus, in quolibet anno, in festo Omnium /<sup>8</sup> Sanctorum unam gallinam recepientem de censu, deinde nullum alium censum neque partem expletorum nichil aliud teneamini reddere, nisi quod super- /<sup>9</sup> ius dictum est. Et, propter hanc donacionem, laudacionem et stabilicionem, accipimus a uobis quinque solidos monete curribilis Barchinonensis de duplo, /<sup>10</sup> ex quibus bene sumus uestri peccati; renunciando excepcioni non numerate pecunie.

Quod est factum V idus decembris anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> /<sup>11</sup> quinquagesimo primo.

Sig+num Guilelmi de Sala, baiulus; sig+num Petri de Sala, filius dicti Guilelmi.

Sig+num Guilelmi /<sup>12</sup> Bo[ure], sig+num Bernardi Durandi, sig+num Guilelmi de Podiolo, testes huius rei.

<sup>13</sup> (Signe) Petri de Columbariis, publici Tiricelle de Montegrino, notarii, in cuius manu dominus Bernardus de sancta Eugenia et domina Beatrix, uxor eius, /<sup>14</sup> hoc instrumentum firmauerunt.

/<sup>15</sup> Berengarius de Cirario, sacerdos, qui hoc scripsit, die et anno quo su(signe)pra.

1254, juny, 27

*Pere de Prat, el seu fill, Ferrer, la muller d'aquest, Saurina, i les filles de'n Pere, Dolça i Guilleuma, venen a Ferrer de Comelles i a la seva muller, Guilleuma, una peça de terra, que tenen a la parròquia de sant Andreu de Tona, en el lloc anomenat "Savell", dins del senyoratge de sant Llorenç de Munt.*

A Original: APMB, doc. 14. Pergamí, 130 x 235 mm.

Presenta una part central inferior dreta deteriorada per humitats i rossegadors.

<sup>1</sup> Notum sit cunctis quod ego, Petrus de Prato, de parochia sancti Vicencii de Medala, et filius meus, Ferrarius, et uxor sua, Saurina, et filia meas, Dulcia et Guilelma, <sup>2</sup> per nos et per omnes nostros, presentes et futuros, bona et libera uoluntate, non in aliquo coacti neque circumuenti, vendimus tibi, Ferrario de Comellas, et uxori tue, Guilelme, <sup>3</sup> et uestris et cui uelitis in perpetuum, unam peciam terre, quam habemus in parochia sancti Andree de Tonna, in nominato loco {Sauello}, (in nominato loco Sauello), in senioratu beati Laurencii <sup>4</sup> de Monte. Et affrontat dicta pecia terre: ab oriente, in alodio sancti Laurencii de Monte; a meridie, in rieria, que descendit de Bagues; ab occiduo, in alodio sancti Laurencii, quod uos <sup>5</sup> iam tenetis per dictum sanctum Laurencium; a circio, in camino. Dictam namque peciam terre, cum omnibus pertinenciis, iuribus, utilitatibus, ingressibus et egressibus et affrontacionibus suis et <sup>6</sup> uniuersis aliis ibi ad nos spectantibus uel spectare debentibus, uobis et cui uelitis in perpetuum vendimus, ad omnes uestras uestrorumque voluntates faciendas omni tempore, sine aliquo <sup>7</sup> nostro nostrorumque retentu et sine omni enganno vendimus, saluo iure sancti Laurencii de Monte, pro XIII solidis monete Vicen<s>; ex quibus omnibus bene sumus paccati. Renunciando <sup>8</sup> excepcioni non numerate pecunie. Et sic, de nostro iure et dominio et posse, predicta hec, in uestro uestrorumque posse, ius et domin<i>um <et cui> uelitis tradimus irreuocabiliter, cum omnibus <sup>9</sup> uocibus et accionibus nostris et uniuersis ibi ad nos quoquomodo competentibus uel competituris. Et, si quid de iusto precio huius uendicionis deest aut(em) ina<n>tea amplius nominato precio ualuerit, <sup>10</sup> tantum, quicquid sit, gratis et consulte et ex certa sciencia, uobis et uestris et cui uelitis damus, remittimus, tradimus et perpetuo relaxamus. Renunciantes omni beneficio minoris precii, <sup>11</sup> et expresse benefici illius (beneficio illius) legis, qua deceptis ultra dimidiam iusti precii succurritur, et omni benefici et omni yuri, scripto uel non scripto, tam c<an>onico quam ciuili. Et si <sup>12</sup> forte aliqua persona, priuata uel extranea, in dicta uendicione, in tota uel parte, aliquid uobis uel uestris abstulerit siue emparauerit (siue) u(estr)os uel uestros (emparauit), <sup>13</sup> si uos uel uestros inde caussam traxerit, ponamus nos et nostris semper inde ante uobis et uestris et cui uelitis de omni euiccione et expensis, obligantes nos et omnia <sup>14</sup> bona nostra, mobilia et immobilia, habita et habend(e) a, super his omnibus his predictis, uobis et uestris et cui uelitis semper. Insuper, ad maiorem firmitatem, ego, dicta Saurina, <sup>15</sup> gratis et sine ui, renuncians auxilio Uelliani et ipotecheria mei, propriis manibus iuro, per Deum et super sancta quatuor euangelia, omnia predicta complere et non in aliquo contra uenire <sup>16</sup> aliqua iuris causu.

Quod est factum V kalendas iulii, anno Domini M CC LIIII.

Sig+num Petri de Prato; sig+num Ferrarii, filius eius; sig+num Saurine, qui hec iuro et firmo; <sup>17</sup> sig+num Dulcie; sig+num Guilelme; qui hec firmamus.

Testes: P. de Chatauaches, Andreas de Duobus Riuis, G. Gras.

<sup>18</sup> Bernardus, prior sancti Laurencii de Monte, qui hoc firmo (signe). G. de Spelunca, regularis, qui hoc firmo (signe).

<sup>19</sup> Petrus de Chatauaches, sacerdos et rector ecclesie sancti Felicis de Roudores, qui hoc scripsit die et anno quo (signe) supra.

1265, juliol, 29

*Maria de Costa, de la parròquia de santa Eugènia de Berga, i el seu fill, Simó, venen a l'hospital d'Arnau de Clocheri i a Ferrer de Cuspineda, sacerdot, frare i rector d'aquest hospital, dues peces de terra, que tenen, sota domini del mateix hospital, a l'esmentada parròquia, en el lloc anomenat "als clotells".*

A Original: APMB, doc. 15 - R17. Pergamí, 258 x268 mm.

a 1766, abril, 18: APMB, Rúbrica dels actes en pergamí, fol. 9r-9v.

<sup>1</sup> Notum sit cunctis quod ego, Maria de Costa, de parochia sancte Eugenie de Berga, et filius meus, Simon, per nos et nostros, bona et libera voluntate, non coacti neque circun-<sup>2</sup> uenti, immo gratis, consulte et ex certa sciencia, in presenti, cum hoc publico instrumento, vendimus in perpetuum, sine aliquo nostro nostrorumque retentu, hospitali<sup>3</sup> Arnaldi de Clocherio, condam, et tibi, Ferrario de Cuspineda, sacerdoti, fratri et rectori eiusdem hospitalis, et omnibus tuis successoribus fratribus et rectoribus eiusdem,<sup>4</sup> omnes integre ipsas duas pecias terre, que se tenent, quarum vna est plantata; quas, sub dominio dicti hospitalis, habemus, in eadem parochia, in loco nominato {apud<sup>5</sup> Clotels}, subtus domibus

Johannis Guaamir. Et, infra predictas duas pecias terre, transit carreria, que ducit ad ecclesiam sancte Eugenie de Berga. Et<sup>6</sup> affrontant predicte due pecie terre: ab oriente, in honore dicti Iohannis Guaamir et in predicta carreria, que transit infra dictas pecias terre, et in nostro alio honore<sup>7</sup> et in honore Petri de Albareda; a meridie, in honore predicti Johannis Guaamir et in iam dicta carreria; ab occidente, in camino, quo itur apud Tarradel, et in nostro alio<sup>8</sup> honore et in predicta carreria, que ducit ad ecclesiam sancte Eugenie; a circio, in eadem carreria, que ducit ad ecclesiam sancte Eugenie, et in nostro alio honore et in honore predicti<sup>9</sup> Petri de Albareda. Iam dictas itaque duas pecias terre, cum omnibus suis pertinenciis, tenedonibus, terminis, ingressibus, egressibus et affrontacionibus suis et cum<sup>10</sup> omnibus locis, uocibus, iuribus, cessionibus et accionibus nostris et cum vniuersis aliis in [dicti]s duobus peciis terre vel pro ipsis, ad nos et nostros quoquomodo spectantibus<sup>11</sup> vel spectare debentibus, vendimus in perpetuum, sine aliquo nostro nostrorumque retentu, predicto hospitali et tibi, dicto Ferrario de Cuspineda, et omnibus tuis successoribus,<sup>12</sup> rectoribus eiusdem hospitalis, pro triginta quinque solidis denariorum Malguriensium, quos nos a te numerando concedimus recepisse et eos soluisse et dedisse Astrugue,<sup>13</sup> uxori Yssachi de Minorisa, condam, pro illo debito, quod nos et Guilelma, quondam, uxor mei, dicti Simonis, debebamus eidem Yssacho. Renunciando excepcioni pe-<sup>14</sup> ccunie non numerate. Et, de predicta vendicione, inducimus, de presenti, dictum hospitale et te, dictum Ferrarium de Cuspineda, nomine eiusdem, in possessionem,<sup>15</sup> pleno iure, in rem tuam propriam et dicti hospitalis, nos et nostros inde perpetuo penitus spoliantes. Et, si hec venditio plus valet precio antedicto vel de ce-<sup>16</sup> tero valuerit, totum quicquid sit vel fuerit, tibi et dicto hospitali damus perpetuo irreuocabiliter inter viuos. Renunciantes, quantum ad hoc, beneficio mi-<sup>17</sup> noris precii et expresse beneficio illius legis, qua deceptis ultra dimidiam iusti precii succurritur, et omni alii iuri et rationi repungnantibus contra predicta.<sup>18</sup> Promittimus etiam, per nos et omnes successores nostros, predictam vendicionem tibi et dicto hospitali et successoribus tuis, rectoribus eiusdem, semper saluare et facere<sup>19</sup> firmam contra omnem personam. Et teneri etiam tibi et successoribus tuis predictis, in perpetuum, de omni euiccionem et expensis circa euiccionem factis, nostris propriis sump-<sup>20</sup> tibus; nos etiam obligantes. Ad maiorem etiam firmitatem, iuramus, nos ambo predicti, per<sup>21</sup> Deum, super eius Sancta quatuor eu(u)angelia, predicta haec omnia semper attendere et seruare et non contra venire nec aliquem facere venire aliqua racione.

Quod<sup>22</sup> est factum IIII kalendas augusti anno Domini M CC LX quinto.

Sig+num Marie de Costa; sig+num Simonis, eius filii; nos ambo predicti, qui hec<sup>23</sup> facimus, firmamus et iuramus.

Testes huius rei sunt: Bernardus de Villa Tortiela, Berengarius de Stangno et Petrus de Tolosa.

<sup>24</sup> Sig(signe) num Petri de Ayreis, Vicensis canonici et publici ville Vici notarii.

<sup>25</sup> Sig(signe) num Petri de Alibergo, scriptoris iurati, qui hec scribi fecit et clausit, mandato Petri de Ayreis, publici i Vicensis<sup>26</sup> notarii, cum dictionibus emendatis in VIII<sup>a</sup> linea, ubi dicitur {que ducit ad ecclesiam Sancte Eugenie}, die et anno quo supra.



1269, decembre, 3

*Berenguer Provincial i la seva muller, Aledis, venen a Berenguer de Palatiolo i a la seva muller una raïmera, situada a la parròquia de santa Eugènia de Berga (Osona), en el lloc anomenat "els Clotells".*

A Original: APMB, doc. 16 - R29. Pergamí, 218 x 234 mm.

a 1766, abril, 18 : APMB, Rúbrica dels actes en pergamí, fol. 13v 14r. Document força deteriorat per la humitat a la part superior i a les laterals.

<sup>1</sup> [Notum sit cunctis quod] ego, Berengarius Prouin[tialis, et uxor mea, Ale]dis, de parrochia sancte Eug[enie de Berga], nos ambo insimul, per nos et per omnes nostros presentes <sup>2</sup> [et futuros, bona et libera v]oluntate, vendimus [uobis, Berengario de Pa]latiolo, et uxori tue [ ... 20 mm ... ] et qui uelitis, in perpetuum, et de eadem parrochia, <sup>3</sup> [unam triliam, quam] habemus in predicta parrochia [sancte Eugenie, in] loco nominato {ad Clotels}, [in seni]oratu sancti Petri Vici, et de prepositura mensis ianuarii <sup>4</sup> [ ... 30 mm ... ]ham omnium expletorum, quolibet anno, [ ... 28 mm ... ]ouit pater meus condam Prouintialis, de tuo manso de Palatiolo, ratione emptionis. Et <sup>5</sup> [affrontat: ab oriente,] in illa rasa, qui descendit de manso G[...12 mm .. ; a meridie,] in trilia mansi de Sacosta; ab occidente, in torrente et in camino; a circio, in trilia nostra <sup>6</sup> [.. 12 mm .. ]. Dictam nanque triliam integre, cum om[nibus suis] possessionibus, tenedonibus, terminis, ingressibus et egressibus, iuribus et affrontationibus suis et uni- <sup>7</sup> [uersis aliis, que,] ad nos quoquomodo spectantibus uel spectare debentibus, uobis et uestris et cui uelitis, in perpetuum, ad omnes uestras uestrorumque uoluntates faciendas, <sup>8</sup> [saluo iure sen]iorum, vendimus pro sexaginta et quinque solidis monete curribilis Barchinonensis de terno, ex quibus omnibus bene sumus paccati et contenti. <sup>9</sup> [Renuntiendo] exceptioni non numerate peccunie et sic, a nostro nostrorumque iure, posse et dominio, in uestrum et quorumcumque uelitis ius, posse et dominium mittimus, <sup>10</sup> [cum omnibus] locis, uocibus, iuribus, utilitatibus et accionibus nostris realibus et personalibus et uniuersis aliis, ibi ad nos quoquomodo competenti- <sup>11</sup> [bus uel competituris]. Et, si quid de iusto precio huius uenditionis deest, totum quicquid sit aut quantum fuit uel fuerit, gratis et consulte et ex certa scientia <sup>12</sup> [uobis et] cui uelitis damus, remitimus et perpetuo relaxamus. Renuntiantes omni beneficio noue constitutionis et minoris precii et ex- <sup>13</sup> [presse] illius legis, qua deceptis ultra dimidiam iusti precii succurritur, et omni alii iurii scripto, tam canonico quam ciuili. [Et si] forte aliqua <sup>14</sup> [persona priuata] uel extranea, in dicta uenditione, in tota uel parte, aliquid uobis uel uestris abstulerit uel emparauerit, siue uos uel uestros inde <sup>15</sup> [in causam] traxerit, ponamus nos et nostri semper inde statim ante uos et uestros, de principio litis usque in finem, propriis expensis nostris, super nos et [super om]nia bona <sup>16</sup> [et res nostras], mobiles et immobiles, habitas et habendas. Et ad maiorem etiam firmitatem uestram, ego, predictus Berengarius, et ego, Aledis, uxor [eius, no]s ambo <sup>17</sup> [iura]mus, per Deum, et super sancta quatuor eius euangelia, manibus nostris corporaliter tacta, hoc attendere et obseruare et contra non uen[ire..10 mm ..um]quam ueni- <sup>18</sup> [..18 mm ... ] occulte uel manifeste, racione sponsalicii, uel aliquo alio modo.

Quod est factum tercio nonas decembris, anno [Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup>] LX<sup>o</sup> IX<sup>o</sup>.

<sup>19</sup> [Sig+]num Berengarii Prouintialis predicti, iurati et firmati. Sig+num Aledis, uxoris eius, que hoc iuro et firmo.

T[estes huius rei sunt: Be]rengarius <sup>20</sup> [sacerd]os ecclesie sancte Eugenie et Guilelmus Perera.

Sig +num Raymundi de Castayola, baiuli, qui hoc firmo.

Testes eius sunt: <sup>21</sup> [ ..8 mm .. ] de Castayola et Iacobus Michelis.

<sup>22</sup> [Sig+n]um Petri de Gualba, Vicensis sacriste et prepositi mensis ianuarii, cuius prepositure est dominium dicte trilie.

<sup>23</sup> [Sig](signe)num Berengarii de Cortada, presbiteri et ebdomedarii sancte Marie de Seua, qui hoc scripsit, die et anno quo supra.

1270, agost, 28

*Tradicció de llegat, que duen a terme Pere Ponç i la seva muller, Elisenda, a favor de Pere d'Albergueria i que consta de les cases i la raïmera inferior, així com la meitat de l'hort major i un tros de terra dins la raïmera, i també una altra raïmera i el quart i braçatge aportat per Joan Guamir; i, a més, Elisenda, l'hereva, en lliura els documents corresponents, entre els quals s'inclou la seva cessió de drets.*

*A Original perdut.*

B Traslats de l'1 d'octubre, 1270: APMB, doc. 17 – R65. Pergamí, 179 x 247 mm.

a 1766, abril, 18: APMB, Rúbrica dels actes en pergamí, fol. 36v.

**Notitia dorsalis:** Promesa feta per Pere Ponç y sa muller a Pere de Albergueria que li feren donar possessio de unas casas y terras que son en Vich.

<sup>1</sup> Hoc est translatum cuiusdam instrumenti quod sub istis continetur verbis:

Sit omnibus notum quod ego, Petrus Poncii, et uxor mea, <sup>2</sup> Elicsendis, utrique nostrum insolidum, promittimus et in bona fide conuenimus tibi, Petro de Albergeria, et tuis quod faciemus tibi tradi, sine aliquo <sup>3</sup> obstaculo et missione tua, cum fueris apud Vichum, illas domos et illam triliam inferiorem et medietatem cuiusdam orti majoris et quendam tro- <sup>4</sup> cium terre, qui est infra predictam triliam, et aliam triliam, qui ibi est, et quartum et brassagium, quod facit Johannes Guamir. Et etiam promittimus <sup>5</sup> tibi quod faciemus tibi tradi omnia instrumenta ipsorum omnium honorum, in quibus ego, Elicsendis predicta, filia et heres Petri de Albergeria condam, cessi <sup>6</sup> tibi jura mea cum instrumento. Affirmantes et promittentes quod dicti honores non sunt venditi nec alienati nec dati quominus possis, sicut tibi dedimus, <sup>7</sup> intelligere inde plenarie ius habere. Obligantes uterque nostrum, pro toto, tibi et tuis, propter hec, nos et omnia bona nostra, mobilia, habita et habenda ubique. <sup>8</sup> Et iuro ego, dicta Elicsende, per Deum et eius sancta quatuor evangelia, manibus meis propriis tacta, predicta omnia rata et ffirmata habere et nunquam contra <sup>9</sup> ea uenire uel uenire facere iure aliquo, causa uel racione. Et renuncio omni iuri, legi et consuetudini et beneficio senatus consultus Velleyani <sup>10</sup> et ypotehe et donacioni facte tempore nupciarum mearum et iuri sponsalicii mei et etiam omni alii iuri contra predicta in aliquo facienti.


Actum est hoc V <sup>11</sup> kalendas septembris, anno Domini millesimo CC<sup>o</sup> LXX<sup>o</sup>.

S+num Petri Ponçe. S+num Elicsende, eius uxoris, iurantis; predictorum, qui hec laudamus et <sup>12</sup> firmamus.

Testes huius rey sunt: Petrus A., Petrus Amalric et Iacobus de Oulesia.

Sig (signe) num Petri de Teuars, notarii publici Ma- <sup>13</sup> orice, qui hec scribi fecit, cum literis suprapositis in linea V<sup>a</sup>, ubi dicitur {filia et} .

<sup>14</sup> Sig(signe)num Petri de Ayreis, Vicensis canonici et publici ville Vici notarii. <sup>15</sup> Sig(signe)num Petri de Alibergo, scriptoris iurati, qui hoc translatum fecit fideliter translari (sic) et scribi ac <sup>16</sup> clausit, mandato Petri de Ayreis, publici Vicensis notarii, cum dictionibus emendatis in VIII<sup>a</sup> et IX<sup>a</sup> lineis, ubi dicitur <sup>17</sup> {et iuro, iure}, kalendis octobris, anno predicto.



Doc. 17, 1270, agost, 28


18

1272, gener, 27

*Berenguer Rutllan i la seva muller, Ramona, de santa Coloma de Vinyoles, i Guillem de Bages i la seva muller, Ermessenda, de Tona, reconeixen un deute de tres quarteres de blat a Eretó, al qual les hi han venut i cobrat anticipadament.*

A Original: APMB, doc. 18. Pergamí, 186x264mm.

<sup>1</sup> Notum sic cunctis quod nos, Berengarius Rutlandi et uxor eius, Raymunda, de parochia sancte Columbe de Vineolis, et Guilelmus de Baguis et uxor <sup>2</sup> eius, Ermessendis, de parochia de Tonna, nos omnes predicti et quisque nostrum insolidum, debemus tibi, Eretono, filio boni Astruga, in turri, quondam, <sup>3</sup> tres quarterias frumenti boni et pulcri, ad mensuram merchatu Vici, ratione vendicionis, quam de ipsis tibi fecimus et precium a te recepimus. Et renun- <sup>4</sup> ciando excepcioni peccunie non numerate, promittimus, tibi et cui uelis, dictum debitum soluere sine questione, dilacione et aliqua excepcione in festo sancti <sup>5</sup> Felicis augusti proximo venturo. Et, si ultra dictum terminum nobis dictum debitum uelitis prolongare, promittimus inde tibi dare lucrum, [id est] <sup>6</sup> quatuor denariorum pro libra in mense. Et, si pro hiis, tibi et cui uelis, atendendis et complendis, dampnum uel expensas sustinueris, omnia tibi <sup>7</sup> et cui uelis restituere promittimus incontinenti. Et damus inde tibi fideiussores: Berengarium Alamany, de parochia de Taradello, Bartholomeum <sup>8</sup> de Noguereiis, de parochia de Seva, et Petrum de Sauaello, de Tonna; quodque pro toto qui hec omnia predicta tibi et cui uelis atendant et compleant <sup>9</sup> uel atendi et compleri faciant nobiscum et sine nobis, quos etiam possis super predictis, priusquam nos, si uolueris, conuenire. Et renunciantes <sup>10</sup> nos,



Doc. 18, 1772, gener, 27

